

Det här verket har digitaliserats vid Göteborgs universitetsbibliotek.
Alla tryckta texter är OCR-tolkade till maskinläsbar text. Det betyder att du kan söka och kopiera texten från dokumentet. Vissa äldre dokument med dåligt tryck kan vara svåra att OCR-tolka korrekt vilket medför att den OCR-tolkade texten kan innehålla fel och därför bör man visuellt jämföra med verkets bilder för att avgöra vad som är riktigt.

This work has been digitised at Gothenburg University Library.
All printed texts have been OCR-processed and converted to machine readable text.
This means that you can search and copy text from the document. Some early printed books are hard to OCR-process correctly and the text may contain errors, so one should always visually compare it with the images to determine what is correct.



br
Ab-dds
Åbo. Univers.
bibliothek
Åbo

Michael Olai (Wexionius) Syldenstolpe

Oratio de bibliothecis in genere;
et in specie de bibliotheca Regiæ Academicæ
Åboensis...

Åboæ 1657



Michael Gyldenstolpe

50/12/645

3.
MICHAELIS GyllenStålpens etc.

O R A T I O

De

B I B L I O T H E C I S

I N G E N E R E ;

Et in specie de BIBLIOTHECA

Regiæ Academiæ Aboënsis;

A T q;

Quomodo hæc à p. m. fortissimo quondam heroë, Generos^o Domino

T O R S T E N I O Stålhanste/ heredita-

rio in Hummelsund / Söwerby & Alten; Equitatus Duce Generali;

nec non unius è cohortibus Equestris, uniusq; pe-
destris Tribuno bellicosissimo;

Ejusdemq; relicta viduâ Generosissimâ Dominâ

D N A. C H R I S T I N A Horn/ nunc Liberâ

Baronissâ de Lämpelâ / Dominâ in Runegård
& Hummelsund &c.

Laudatissimè aucta & amplificata fuerat.


H A B I T A

*In eadem Academiâ Aboënsi, prid. id: Maij, 1654. jam v. primùm, ut res ad poste-
ritatem transmittatur, ab Autore prælo submissa.*



A B O Æ

Excudebat PETRUS HANSONIUS Acad. Typ. 1657.



Hög- wälborne Frw/

CHRISTINA Horn

Früherrinna til Cämpelå/ Frw til Runegård och
Hummelsund etc. Gunstige Frw och
Högberwågne Sönerinna etc.

Såsom E.^{ro} högtwälb:^{herrs} Wärdpryflige / och högtmeriterade Förfäder /
Aff den Wrgamle löflige Horne- Familien sigh om höge / Ridderlige
och Adelige Dngder sampt Gudz ähro / Fäderneslandens wälstånd och förkof-
ringh altidh på det högsta bestyctadt hafwa; och derföre Luff / blod / godz och
all sijn förnögenheet ospart hållit: Altså warder ännu wthi thesse tyder äwen
det samma / aff höghbemälte Slämna / merkeligen i wärlet stält och practice-
rat. Altt jagh några så exempel allenast nu / för korthets skull / ihugkommer:
Hwad för stoore tingh E.^{ro} högtwälb:^{herrs} S. H. Fader Faders Broderhjon /
fordom then Högtwälb:^{herrs} Herre / H. Clas Christiernson Horn / Frührer til
Aminne / och Rytzammiral wthi R. Erichs den fiortondes tydh / nu snart för
ett hundrade år sedan wthrättade / så han både the Danskas och Lybels
Skeppflostar tillqta öfwerwant / läggandes sigh wthi Sresund / ther en rund
tydh tullen wptagandes / der om finnes noghsampt wthi Historierne at läsa.
Hwad för en förnämblich Krügghielte / såsom och högförståndigh Regent /
E.^{ro} Högtwälb:^{herrs} Faderfader / den S. Herren H. Hindrich Horn til Kan-
kas etc Riddare / fordom Gouverneur öfwer Finland / sampt berömelighe
FeltHerre / warit hafwer; der om bära monga märkelige bedriffter ännu
witnesshörd / och finnes der wppå än klara betygningar. Sammaledes och
hans Son / Högtwälb:^{herrs} Fruns Faderbroder H. Carl Horn til Kan-
kas / så han war Fäldtsöfwerste wthi det förige Ryske Krüget / hafwer stoor ähra och
beröm inlagde. Hwilkens högtpryflige Söner / H. Lwert / H. Hinrich
sampt H. Clas Horn / hafwa ochså wthi Krüggs / så wäl som fridztyder /
ett stoort och odödeligit Rampn sigh förwärfwat. Det wero alt förlängt
alla aff denne löflige famulien wpråkna / som både wthi framsarne tyder såsom
och ärmu i denne Dagh / the högste Krüggsienster beklädt hafwa och ännu bekläda /
Äd:^{eligen} wägandes det käresta för höga Swerhetennes och Fäderneslands-
sens wälserd. Hoo kan noghsamt medh beröm ihugkomma the trenne för-
nähme Krügghielte och klart skynande Krüggs Soler / 1. höghwälborne Herren
H. RytzMarcken / hans högh- grefflige Excellence H. Gustaff Horn / Gref-
we til Björneborgh etc. 2. Hans Excellence H. Gustaff Horn / Frührer till
Marteburgh Herre til Kan-
kas etc. General Gouverneur öfwer Narwen /
med Ingermanneland; General Commendeur öfwer Stoer Förstendömet /

Finland samt des Militie; och 3. Herren General Lieutenansen öfwer Caval-
 leriet H. Hendrick Horn Fröherre till Marienburgh Herre til Häfle och warzala
 etc. som vthi dese våre tider genom sune stoore meriter och märkelige bedriff-
 ter / heela Werldenne kunnoge äro / ochsä aff samma Familia härkomne ?
 Det kan man medh sanning säha / att denne löflige Horne Slächten är een rätt
 Martialist Stamma / och förnämlige Krügzheltars råta källa och vhrsprung;
 Emädan vthaff ingen finnas fleere Fält Herrar / Generaler och stoore Krüg-
 zsværter härkomne / än äroen vthaff thenne.

Nu såsom the vppå Stwärds sidan vthi denne höge Slächtenne sig
 måstedels til Rättsens värn emoot Fienderne bepröfligen brukalåta; altså står
 och E:^{rs} hög. wälborenheet ingaledes tillbaka / att högeligen befordra Gudz
 äbro / tillgå medh Fäderneslandens wälsferd och gemeene bästa / förmedelst den
 rika wälsignelse och ymnoga hästvor / som den aldråhöge E:^{rs} hög wälb:^{heet}
 mildeligen och runneligen förlånt hafwer. Sådant witna och betygä Konrtior /
 Academier och Scholer / samt the der vthi tienä / som E:^{rs} hög wälb:^{heet} sto-
 ra liberalitet nogsampt weta at beröma. I synnerheet hafwer denne Kongli-
 ge Academien här i Åbo stoore orsäl sådant medh ewärdeligh prüs och tackfä-
 jelse at ihugkomma: Betrachtandes den anseentlige föräbringh medh det koste-
 lige Bibliothec som E:^{rs} hög wälb:^{heet} S. förrige Herre / H:^{re} Generalen
 Torsten Stålhanske etc. tillgå medh E:^{rs} hög wälb:^{heet} hge skänk-
 te och föräbrade. Hwarjore att sådant icke motte vthi föräktenheet ställas /
 vthan altidh vthi frustt minne behållas / hafwer jagh der om en kort Oration,
 för någon tidh sedan vthi Academien hållit / hwilken vthi Bibliotheket och
 Archivo jämwäl för effterkommanderne skal förhwähras: Den jagh och nu
 E:^{rs} hög wälb:^{heet} ödmueligen dedicerar och offererar, vthi den ödmuele till-
 förstcht att E:^{rs} hög wälb:^{heet} sådant medh gunstige ögon ansee täcktes / och
 vthi bästa måttan vptaga. Den höge Gud wille nådigesi E:^{rs} hög wälb:^{heet} länge
 och wäl vppehålla / mildeligen wälsigna / ifrån all olycko bewara / och vthi sitt
 eensförriande tilstånd hugneligh tröst aff högdenne sända! vthi hwilkens guddom-
 melige beskydd och skärm E:^{rs} hög wälb:^{heet} jagh nu och altidh trooligen och
 vnderuenstligen wil hafwa besallat ;

Skrifwit
 i Åbo den
 24 Martij
 1657.

Ståds förblifwandes

E:^{rs} hög wälb:^{heet}

Ödmuele och Tienstberedde

MICHAEL GyllenStålpe. etc.

*Ms. 154
K. 154
Gyllenstålens fol.*

D. MICHAELIS Gyllenstålens/
ORATIO

In
Commendationem BIBLIOTHECARUM in genere,
& regiae ACADEMIE ABOENSIS In Specie.

*Habita 9. May 1654. cum Rectoratus Academ: in sequen-
tem quoq; annum ipsi prorogaretur.*



Ulemadmodum inter navigandum nonnunquam contingit, ut cum portui navis vicina esse videtur, vela contrahere nauclerus jam jam parat, omnium, qui in navi sunt, ora, oculi, animiq; in terram & novam requiem intenti, cursum nunc peractum sperant; ecce, insperato ex angulo aliquo vehemens tempestas & impetuofus ventus, sive prorsus contrarius sive transversus, subito erumpit, navigium repellit, in altum denuò subducit, telluremq; è conspectu adimit: atq; ita labores, pericula, molestia, ubi finem habere credebantur, ex inopinato conduplicantur. Ita etiam mihi, hoc tempore, consimile quid evenire haud abs re adseveravero. Cum enim directionem navis hujus Academicæ, quæ mihi superiori anno secundum demandata, seponere cogitabam, portum me in propinquo cernere autumabam, togulam sive epomida, argentea scepra & cætera magnifici Rectoratus insignia deponere parabam, de novo Rectore deligendo in Senatu nostro Academico differebam; Ecce præter omnem meam intentionem, & quod ne per somnium quidem, ut ajunt, suspicabar, omnium Collegarum vota, tanquam impetu, & agmine facto, ceuloquitur Poëta, me utut reluctantem & ad portum manibus pedibusq; contententem, ab eodem reijciunt, atq; in idem mare, quod me tranâsse existimabam, retrahunt, propellunt. Quibus deniq; etiam admodum Reverendi Dñi EPISCOPI, Academicæ hujus procancellarij per magnifici, autoritas accessit. Nec minus Illustrissimus Dn. Regni Drotzetus, D Comes PETRUS Brahe &c. Academicæ hujus Cancellarius magnificentissimus, literis 23 April, Holmiâ datis, & hesternâ luce allatis, idem sibi quoq; haud displicere, ut scepra etiam in sequentem annum retineam, clementer est contestatus. Adeo ut non secus ac navis rector contra majorem tempestarum vim frustra renitens, quando ut velit non possit, quod potest velle necessum habet; ita & Ego tanto consensui impar, cum sine pertinaciæ notâ omnium

voluntati, totiusq; Senatus unanimi decreto, adeoq; superiorum voluntati me unum resistere honestè non posse videbam, malui eidem modestè assentiri, in eodem promptè acquiescere, Deoq; omnipotenti ulteriorem cursum commendare, quam cunctorum iudicio me odiosè opponere. Jacta igitur alea esto, & adhuc per annum spatium, si mihi tam diu vitæ hujus usurâ frui licuerit, altissimo dirigente, clavum navis hujus academicæ retinebo. Quoniam autem hæc ratione solennitas mutationis Rectoratus in præsentiarum intermittitur, visum nihilominus est venerando & amplissimo Senatui, ut in publicum prodirem, huncq; locum occuparem, de utili aliquâ materiâ ad cives Academicos paucis verba facturus. De quânam v. re potissimum hæc horâ dicerem circumspiciens, non abstrusam questionem aliquam, aut quid ab hæc statione alienum, sed nostris manibus quotidie tritum & in quo indies meritò versamur, pro re natâ, in medium adducere convenientissimum duxi. *Tractent fabrilis fabri.* Nos itaq; literis consecrati ac dediti rem literariam contemplemur & meditemur. Constitui proinde aliqua de librorum suppellectile, sive BIBLIOTHECIS, cum in genere tum in specie, de hujus Academicæ Bibliothecâ nonnulla afferre. Quod ubi breviter fecero, perorabo. Vestrum intereà erit, ô Auditores optimi, placidâ attentione Orationis meæ cursum benignè sublevare.

Libros & scripturam ingens Dei ter opt: max: donum egregium, vitæ humanæ subsidiû, & præstantissimum hominis decus atq; ornamentum esse, nemo vel tantillum in literis versatus est qui meritò ambigere poterit. Jehova quippe ipsemet, velut antiquissimus scriptor & Historicus Moses perhibet, primas, quarum usquam post diluvium mentio fit, literas in tabulis lapideis, decalogum promulgaturus proprio exaravit digito. Quem ipsum etiam Deum Mosen literas docuisse & modum scribendi ostendisse non nemo existimat. Quamvis *Josephus*, de antiquit. Jud: lib. 1. c. 3. circa finem, Scripturæ, ante diluvium, mentionem injiciat: Sethum videlicet Adami filium cœli cursus & Astronomiam, aliâque utilia in duabus columnis, alterâ lapideâ, altera lateritiâ quarum illa ab aquarum, hæc ab ignis injurijs & læsione tutiores atq; illæsæ esse possent, insculpisse ac posteritati bibliothecæ loco, reliquisse tradens. Quod tamen signis quibusdam hieroglyphicis & picturis magis quàm literis fortasse factum erat. Ipsum itaq; rerum omnium conditorem primis mortalium literarum notas, ut & alias honestas artes, suggessisse non est quod ullatenus dubitetur. Quantum v. quàmq; egregium literæ sint humanæ vitæ subsidium, ipsa nos experientia docet & quotidiana indi-

gentia

gentia confirmat. Quomodo enim aliàs ea quæ utiliter ac necessario reminisci debemus, ab oblivionis tenebris vindicabuntur? Omnium siquidem habere memoriam, solius est divinitatis, ut graviter Imperator Justinianus loquitur. Quomodo quæ liberis, nepotibus, cæterisque posteris nota esse cupimus, sine literis communicabuntur? Literæ profectò sunt fideles ad posteritatem nuncij, quibus eisdem quidvis mandare aut significare commodissimè ac tutissimè licuerit. Hæ offensionem non metuunt, non pestem, non gladium, non famem. Et si ab aliquo, propter indigentiam, libri vendantur ac distrahantur, ab alio tamen per abundantiam & curiositatem acquiruntur & cœmuntur, ut differit Laurentius Melliet in discurs: pol. ad Tacit: anal. lib: XII. Exinde tamen adhuc generi humano utiles manent, Periculis nihilominus aquarum & ignis, literarum monumenta, ac bibliothecas quoq; nonnunquam obnoxias esse haud diffitendum; unde irreparabili successorum damno desideratissima quædam majorum monumenta prisco etiam ævo interiere. Ecqua enim alia causa, quòd multa scitu dignissima, altissimâ oblivionis nocte consopita sint, nisi quòd vel fidelibus annotatoribus caruerint, vel hominum incuriâ aut injuriâ, conflagrârint? De altero illo sic Poëta Lyricus,

Horatius: *Vixere fortes ante Agamemnona
Multi; sed omnes illachrymabiles
Urgentur, ignotiq; longâ
Nocte; carent quia vate sacro.*

Itemq; Livius historiæ romanæ princeps causam indigitat, cur memoria rerum gestarû, quæ tamen utilissimè conservaretur, perierit inquiring; Tum quod perraræ per eadem tempora literæ fuere, una custodia fidelis memoriæ rerum gestarum. De hoc casu idem Liv. decad. 1. lib. 6. sic ait. Quod etiam si quæ in commentarijs pontificum alijsq; publicis privatisq; erant monumentis, incensâ urbe, pleraque interiere.

Quot igitur putabimus, ô Auditores, priscorum heroum, fortissimorum pugilum, varijsq; ornamentis clarissimorum virorum, in Sueciâ & Gothiâ nostrâ, non solùm res celeberrimè gestas, sed etiam ipsissima eorundem nomina, posteritatem latere? Solùm propterea quòd scriptorum diligentia, aut idonei illis temporibus scriptores desiderarentur. Vel aliqua saltem ad nos pervenisse, literis runicis, quæ olim lapidibus, cippis, truncis, tabulis, trabibus, baculis insculpebantur, antiquorumq; rythmis & cantilenis, quod unum illis literaturæ atq; historiæ genus, unice acceptum ferendum. Magis autem adhuc hîc in Fenningiâ deplorandum, quòd ne apex vel in

faxis, vel lignis, antiquitus insculptus ullibi reperitur. Quanquam id tamen non adeo mirum, cum etiam de germanis suâ tempestate Tacitus adseveret, viris pariter ac fœminis literas prorsus ignotas fuisse. Unde etiam Fennos eodem tempore literarum arcanis quoque caruisse, propius vero videtur. Elementa n. quibus & hi moderno tempore & illi, scilicet germani, & nos Sueci ac Gothi post relegate runas utimur, romana esse & ex latinis deducta, nemini cordato rem intimius introspectanti poterit esse dubium aut obscurum, ista fermè una & præcipua fuit causa cur gentes literaturâ gaudentes, eâdem & literis destitutos barbaros vocitârint, altoq; supercilio contempserint. Ecquis igitur subdubitare audeat quin literæ & literarum monumenta, libri, maximum sint hominis imò integræ gentis decus atq; ornamentum? Imò tantum in literis ac libris præsidij est, ut non modò pacis, sed & belli temporibus incredibili sint adjuvamento, quin etiam in hisce versatos beneq; excultos admirabiles reddant, ac penè divinos honores, apud horum præsertim ignaros, iisdem asserant. Justitia, etiam sub toga, sine literis commodè haud administratur, cum apud Athenienses aliosq; eadem cum illis instituta servantes populos, quæ in legibus scripta comprehenderunt, custodire consueverint. Ita etiam apud nos legum codex, liber secundum excellentiam, in legisterio passim appellatur. Et Deus ipse in suo populo Israëlitico sacerdotibus ac Regibus librum legis seriò commendavit, ut nunquam ab iisdem vel hi ab illo recederent. Unde quid de literis, libris & bibliothecis sentiendum faciliè judicatu. Sed dicat aliquis, domi in choro & foro magnum esse librorum & literarum usum haud quidem prorsus negandum videtur; at quid Bellonæ cum Musis? quid Marti cum Minervâ? Summos etenim imperatores & felicissimos bellorum Duces, idiotas nonnunquam fuisse deprehendimus. Verumenimverò huic responderi potest; Reperiri quosdam interdum eâ ingenij dexteritate, ea experientiâ, eaq; fortunæ indulgentiâ instructos, ut res maximas sine literarum adminiculis gesserint. At quid cogitandum si his insuper ornati fuissent? Nonne adhuc longè illustriores futuri? Imò, si non ex mortuis præceptoribus, id est, libris, quod eruditorum est proprium: at tamen ex vivis suam informationem & prima principia hauserunt. Hæc enim duplex tantummodo est via ad prudentiam etiam bellicam perveniendi. Longè tamen plura mortui docent fideliusque sine adulatione, invidiâ vel hypocrisi proponunt. Hi totius humanæ vitæ curriculum, hi universa & singula terrarum climata examussum depingunt. Hic sine periculo, aliorum pericula, tanquam ex

æditissimâ speculâ contemplari licet, sine errore aliorum errores, Hic certiores adferuntur rationes, quando, quare, quousq; & quomodo armis utendum? An cessandum, retrocedendum, progrediendum? Et ne in hoc argumento sim prolixior, cum plurima adferri possent, Unum L. Lucillum, Romanorum belli ducem clarissimum inspiciate, qui nullâ experienciâ propriâ, nullo comitante magistro vivo ad bellum profectus mithridaticum, ex mutis magistris, nimirum libris & historicis, quos secum adferebat, diurnâ nocturnâque manu in itinere versatis, tantam rei militaris peritiâ est assequutus ut quosvis sui temporis bellorum Duces facîle superaret. Ecce, tantum literæ ac libri, bellico Imperatori profuerunt! Nec pigeat adhuc unum alterumve exemplum recentius, ex Joan: Boier. de Polit. Illust. lib. 2, c. 2. bevitèr commemorare. Mahumetes II. Imperator Turcicus, primus eorum quos magnos Turcas cognominârunt, nunquam in conspectum hominum venit, sine antiquo historiographo, quem in manibus gestabat. Tanti ille, quamvis Ethnicus & barbarus, literas æstimavit! Selimus etiam I: mus ardentissimo Alexandri Magni & Julij Cæsaris res gestas, ut imitandi, ita & legendi studio tenebatur; unde etiam motus, eorum historias in turcicam linguam transferri curavit. Quanti v. Alexander ipse Homerum fecerit, vel pueris ex Curtio notum est. Quinimò, dixi literas etiâ admirationem & divinitatis quandam opinionem aliquando conciliâsse. Nec immeritò: divinum certè quiddam est & admirabile, si rem æquâ perpendamus lance, quævis utilissima & abstrusissima, planeq; divina, paucis notulis in vilissimis chartis, vel aliâ vulgari materiâ exprimere, & hisce animi sensa, etiam cum remotissimis, vel post multa secula nascituris communicari! At hoc, ut etiam alia multa stupenda, per quotidianum usum jam â vulgo susq; deq; habentur. Longè alitèr decus illud romanæ eloquentiæ Cicero censuit: magnopere se ingenium ejus admirari scribens, qui sonos vocis penè infinitos, paucis literarum notis terminavit. Audiamus etiam quid de insigni hoc Dei omnipotentis munere, & literarum excellentiâ Americani judicaverint, quos hoc scribendi & legendi artificium ad præsens usque seculum latuit. Refert Benzo in historiâ novi illius orbis, citante Althusio in oratione suâ de Scholarum utilitate & necessitate &c. *Cum gentiles homines illius orbis viderent Hispanos, suos victores & dominos, animi cogitata per chartas leves, alijs etiam absentibus patefacere: hoc ipsum ad stuporem & miraculum usq; admirati sunt, & chartis ori, auribus, oculis admotis, cum vim nullam ijs inesse perspicerent, concludebant divinum quid in hisce hominib; esse, quos ideò quidam eorum tanquam Deos coluerunt. Ecce, ita admirabilem ac divinum hominem literæ efficiunt!*

Unde ex jam breviter dictis quanta literarum præstantia, quanta utilitas, imò divinitas liquet: Quantumq; de humano genere meriti sint tum qui literarum prima elementa invenerint, tum qui conservârint & excoluerint nobilissimum scribendi artificium. Nec suâ fraudandi laude qui typhoticam artem ingeniosè excogitârunt aut nitidiorem præstiterunt: velut immortale etiam sibi decus pepererunt, qui varij generis & optimæ notæ libros conquisiverunt, in unum locum congesserunt & instructissimas bibliothecas constituerunt. Ita magnus ille Alexander, inter alia memorabilia facta, ex devictis gentibus magnam librorum suppellectilem corradens, & in manus præceptoris sui *Aristotelis* tradens, numerosam reliquit bibliothecam. Quem etiam in hoc laudatissimè imitatus felicis memoriæ noster R. GUSTAVUS M. qui itidem ex locis sub suam potestatem justissimo bello & victricibus armis redactis, haud exiguum præstantissimorum librorum numerum convasari curans Academiae Upsalensi eosdem dicavit; ut sub directione sui quondam præceptoris, Illust: Dn. JOHANNIS Skotte, tunc ibidem Cancellarij Academici, nunc etiam pijsimè defuncti, ejusdem universitatis magnificentissimè à se restauratæ Bibliothecæ insererentur. Ptolomæus Philadelphus Ægypti R. æternum sibi nomen conciliavit, non modò copiosissimâ bibliothecâ Alexandriæ instructâ, quadraginta millibus manuscriptorum librorum constante, verùm etiam veteri testamento (cum judaicæ gentis antiquitatem & doctrinam prædicari audirèt) in græcum sermonem per 72. viros doctissimos, qui vulgo interpretes vocantur, maximis sumptibus, duabus nimirum ut scribitur, auri tonnis impensis, converso. Hoc etiam exemplum heroicè & gloriosè imitati sunt nostrates; utpote laudatissimæ recordationis R. Gustavus primus, qui evangelij luce, per divinam gratiam, affulgente, universa biblia in vernaculum nobis idioma transferri fecit, regioq; planè sumptu, nitidissimis typis evulgari curavit. Quam etiam primam sibi, post coronationem suam, supra nominatus & nunquam sine veneratione commemorandus, Gustavus Adolph: M. curam sumsit, ut sacerrimus ille codex, à gravissimis tum patriæ theologis revisus, stylo adhuc nitidiori in publicam prodiret lucem. Pressit & hîc vestigia parentis Serenissima atq; potentissima nostra Regina moderna, Regina CHRISTINA, cum elegantissimis quoq; typis universa biblia Suetico sermone suis sub auspicijs imprimi fecerat; quin & eâ fuit felicitate, ut eidem in honorem, patriotis in emolumentum, vel in minorenni ætate, etiam apud exteros, Belgas videlicet, in minori & portatili formâ, verè divinum istum librum Sueogothico idiomate iteratò impressum viderit. At in eo, quòd

inæstimabilem hunc thesaurum, ipsissimum Dei verbum, in linguam quoq; fennicam purissimè transferri procurârit, translatum immenso ære elegantissimè excudi & divulgari mandârit, omnes majorum laudes est supergressa. Ut jam de eo nihil dicam, quòd sub ejusdem umbone & regio patrocinio, haud pauci etiam in lappicam linguam, novo planè exemplo, in lucem quoq; & apricum sacri prodierint libri. Deus omnipotens temporali & æternâ benedictione tanta in suam Ecclesiam merita remunerabitur! Quamvis autem factissimum hocce volumen Bibliothecam solum non constituat, præcipua tamen ejusdem pars merito habetur: imò qui illud habet, assiduè versat, pieq; meditatur, satis instructam habere bibliothecam non immeritò dici potest. Hic enim omnia, quæ ad æternam salutem scitu nobis necessaria, continentur. Hic ultimus noster scopus & summus finis ac bonorum summum invenitur. Non possum quin vobis, A. O. referam pium discursum celeberrimi quondam Germaniæ I:æ Hermanni Vultej, cujus instructissimam cum primitus ingrediebar bibliothecam (ingressus autem aliàs sum sæpissimè, instar parentis quippe me dilexit) dispositionis in eâdem rationem reddens, ita infit; Hic vides ad januam utrinque Philosophos collocatos, per hos enim ad superiores facultates commodè fit introitus. Ad dextram habes prophetas nostros, juris interpretes putavit: E regione mihi, ait, ad pulpitum meum student, Theologos posui; ut quoties oculos sustulerim, semper sint in conspectu, & de fine, ad quem ducunt, quò etiam decrepitis & alijs studijs jam fatigatus prospero, continuè cogitem. Hæc ejus verba eum pectori meo sensum impresserunt, ut nunquam elabi queant. Nihilominus & alijs in quâvis facultate utilissimis libris atq; authoribus bibliothecæ instrui solent; & reverà ad miraculum ac supra hominum fidem, regiam bibliothecam Holmiæ & Academicam Ubsaliæ, S. R. M:ras instruxit & hanc quoq; nostram locupletavit. Omnium autem scriptorum & librorum nomina ac titulos percensere, ut instituti non est, ita nec brevi temporis spacio possibile. Prolixè id magnoq; studio & industriâ fecerunt alij; utpote Antonius Possevinus in suâ bibliothecâ selectâ; quem in bibliothecâ nostrâ studiosa juvenus adire potest. Eâ tamen cautione, ut ubi minùs dextrè & candidè, suo & aliorum Jesuitarum more, de Luthero cæterisq; Evangelicis & orthodoxis Doctoribus scribit ac censet, à veneno sibi caveant, & adversus vulpeculam, aut potius lupum in vestitu ovium venientem, sese obfirmant. Habetis etiam in eodem nostro *Βιβλιοθηκῆ* Bibliothecam Theologicam, sive elenchum scriptorum ecclesiasticorum, Pauli Bolduanis

Habetis quoq; ibidem Bibliothecam Classicam sive catalogum officinalem: M. Georgij Draudii, ubi Theologi, Icti, Medici, Historici, Geographi, Politici, Philosophi, Poëtæ Mutici &c. enumerantur, Hofce & consimiles consulite. Ne autem prolixitate in hoc generali de bibliothecis discursu tædium pariam, quod evitare semper lubens studeo, breviter ita eundem hæc similitudine claudam. Paradyfus est benè instructa bibliotheca; Ibi quatuor flumina hortum Eden irrigârunt; hîc, quatuor facultates, Theologica, Juridica, Medica, & philosophica suos latices fundunt, & hominum ingenia subigunt ac molliunt. Ibi erat arbor vitæ in medio pomarij, cui hîc respondet Christus, omnibus verâ fide ad se tendentibus in medio positus, qui verè Christianorum bibliothecas unicè ornat; hanc arborem qui ritè gustaverit, non morietur in æternum. Ibi etiam posita erat arbor scientiæ boni & mali; Quam hîc ea philosophiæ pars quæ ad honestatem potissimùm dirigit, ex naturalibus honesti ac turpis notitijs deducta repræsentat, Cætera in paradiso arbuta, flores & herbas, reliquæ disciplinæ, artes atq; scientiæ adumbrant. Hunc igitur hortum summo studio perlustremus, in hoc nos oblectemus, nec ulla unquam major suavior aut utilior in hoc mundo recreatio invenietur; donec in cœlestem paradysum tandem *ισάγγελοι* transvehamur.

Ectantum de Bibliothecis in genere. Nunc aliqua de hæc nostrâ academicâ, sed paucis, quoque dicenda restant.

Bibliotheca publica, quam nunc per divinam gratiam, hæc universitas luculentissimam habet, ex parvis initijs, ut fieri solet, in præsentem copiam & abundantiam paulatim excrevit. Primitus n. ex libris non multis Gymnasio, quod hîc Aboæ ante fundatam Academiam, floruit, dicatis, pauci saltem, academicæ bibliothecæ destinati fuêre, cæteri scholæ inferiori relictis sunt. Anno a. 1646 mirificè aucta est hæc suppellex nostra libraria cum, piæ memoriæ, fortissimus quondam in bello Sueo-germanico & Danico Dux generalis, Dominus **TORSTENIUS Stål Hanske** / hereditarius in **Hummelsund / Sverby & Alten** / equitatus Dux generalis ut & cohortis equestris atq; pedestris Tribunus bellicosissimus, multis præclaris facinoribus & bello gestis inclytus, inter alias divitias bellicâ fortitudine acquisitas, inæstimabilem thesaurum, bibliothecam copiosissimam esset consecutus, eandem non militum prædæ ac direptioni, non vulcano consumendam, non alex jactui, quod multi imprudenter faciunt, commisit; nec conclavi inclusam voluit, ut situ premere- tur & â tineis corroderetur; Sed pijs ac sacris usibus pijsimè destinavit, atq; huic Academiæ in suâ dulcissimâ patriâ consecravit. Heroicum sanè factum; quo iplo Alexandrum M. & ipsum quoq; Gustavum M. de quibus antea dixi, est imitatus. Præclara quidem indoles
hujus

hujus *Stålhanstij* vel in ipsâ pueritiâ eluxit, dum adolescens bellum Ru-
thenicum est secutus; Angliam, Scotiamq; peragravit: juvenis sub Im-
peratore incomparabili, & Regum, quos unquam Sol aspexit, bellico-
sissimo atq; victoriosissimo, Gustavo Adolpho, artis militaris tyrocina
fecit; Multa adultior, præclaræ famæ viam sternens, in Livonia & Boruf-
siâ eques, miles, vexillifer, capitanei locum - tenens, capitaneus, & de-
niq; capitaneus major (ut ita legitimè per gradus ascenderet) egregiæ
fortitudinis specimina dedit. Multa in bello Sueo-germanico, cui ab i-
nitio ad finem usq; sumâ cum laude interfuit, æternitate digna patravit,
Quippe nulla ferme pugna celebrior in illo 18. añorũ bello continuo, cui
non interfuit, imò etiam ex parte præfuit & inde lauream victoriæ re-
portavit. Victorem eum vidit ad omnem posteritatem memorabilis
prima Lipsensis pugna, vidit & Leckensis, in quâ Tillius ad internecio-
nem cœsus. Imò vidit & observavit Rex ipse, summus facinorum æsti-
mator, *Stålhanstij* fortitudinem; unde in castris ad Norimbergam 1632.
Equitatus Fennici Tribunum eundem ipsemet constituit. Viderunt
omnes qui adfuerunt, noverunt etiam absentes, quanto ardore in illâ
cruentissimâ Lutzensi pugnâ, ubi Rex gloriosissimè victorios⁹ occubuit
dimicaverat, & haud parũ ad victoriã fecerat; Nec tantũ ad victoriã
fecerat, sed & hostem fugientem in Bohemiam usq; persequutus fuit,
Quippe non modò vincere sed & victoriã rectè uti didicerat. Eademq;
operâ Chemnitium ad deditionem compulerat, Nec multò post in
Westphaliam cum suo equitatu a legatus, inter præcipuos authores
fuit luculentæ illius victoriæ ad *Uttendorff* propè Hameliam, ubi, raro e-
xemplo peditibus otiosè spectantib⁹, equites soli hostẽ in fugã egerunt:
Cæsareani Duces, *Grönsfeldi⁹* & *Merodius*, præcipuis officialib⁹ cœsis,
munitissimaq; Urbs Hamelia ad Wisurgim in nostram potestatẽ deve-
nerat. Viderunt & non sine admiratione viderunt, hujus nostri *Stål-
hanstij* Fortitudinem Belgæ uniti, quibus adversus Hispanorum po-
tentiam auxilio missus erat. Vidit & comprobavit fortitudinem hu-
jus militarẽ quondam Illustrissimus militia Suecanæ in Germaniã Cam-
pi - Marschallus Dñs Johannes Banerius &c. sub quo in Silesiã & Bohe-
miã *Stålhanstij* noster, Generalis Major, haud minus illustria for-
titudinis documenta reliquit. Quin & hic unus inter præcipuos, cum
sexennales induciæ inter nos & Polonos, jam jam expirarent, tanquam
aptissimus est electus qui contra bellicosissimum hostem, nisi divinã
clementiã, industriã mediatorum & moderatione legatorum nostro-
rum, armistitium prorogatum fuisset, armis decerneret. Nec multò
post in Germaniam cum suis reversus, cruenti prælio Wittstochensi ad-
fuit, imò sinistram nostræ aciei alam direxit; hostemq; jam victori-
am spe devorantem & se vicisse credentem, in fugam vertit, victasq;

manus dare coëgit. Vidit iterum iterumq; Misnia hunc nostrum **Stål-**
hanstium unâ cum **Campi** - duce victoriam undiquâq; persequentem
& hostibus imminentem. Vidit denuò Silesia eundem, honore & ma-
jori potestate auctum, **Generalem** militiæ Silesiacæ **Ductorem** summâ
cum laude, multorumq; admiratione, integrum ferme triennium, mi-
nus tribus mensib; ubi hostiles conatus impiger & increbili cum succes-
su dissipavit, annihilavit. Tandemq; fortissimo & æternâ memoriâ di-
gnissimo **Campimarschallo** Dño **LEONHARDO TORSTENSONIO** per **Mar-**
chiam & **inferiorem Lusariam** in **Silesiam** venienti sese junxit, **Qui** ma-
gnam **Glogoviam** mutuâ ope obsidione cinxerunt & armatâ manu
expugnârunt, occupârunt. Posteaq; **Equitatus Generalis Ductor** con-
stitutus, fidelem patriæ & dicto **Campimarschallo** operam jugiter lo-
cavit; cum aliâ tum in celebri pugnâ ad **Sweinitzium**, ubi cæsareantus
Generalis Dux Franciscus Albertus victus captusq;: **Ut** & in famoso
prælio iterum ad **Lipsiam**, dejectis prorsus cæsareanis, sub **Ducibus**
Leopoldo Archiduce & **Comite Octavio Piccolomineo**, in quo confli-
ctu, etsi mox initio pugnæ, hic noster, dextram manum gravitèr sau-
ciatus, officium tamen boni ducis & egregij militis haud deseruit; donec
hostis terga verteret, nostratibusq; victoriam cum opimâ prædâ relin-
queret. Vidit & exhorruit hujus fortitudinem **Holsatia** atq; **Lutia** in pro-
ximo bello **Sueo - Danico**, ubi hostem masculè aggressus, copias ad
Coldingam contra nos se colligentes, disjecit supplantavit. Hæc ene
gesta ad immortalitatem nominis comparandam sufficientitâ credo. Cum
multi ex unico longè etiam minori, famæ æternitatē consecutentur, **Ut-**
cunq; autem ista magna sint, & certè maxima; **Hoc** tn. factum, quòd
Regiam hanc **Academiam** à **S. R. M.** magnificè fundatam, tan-
to librorum apparatu donârît, beârît, cæteris omnibus etiam si clarissi-
mis & maximis, si antefendum dixerò, perperam me dixisse haud ju-
dicaveritis. **Ista** namq; gesta, tum saltem cum gesta sunt profuere: **Hæc**
verò magnificentia non uno solùm die, aut anno, sed in perpetuum,
quamdiu hæc **Musarum** sedes duraverit, (quod ad finem usq; mun-
di futurum & auguror & opto!) profutura. **Illâ** multorum auxilio in-
diguere; unde & laudum plures participes: **Hæc** à solâ solius donantis
liberâ voluntate donatio profecta; in hujus laudis societatem nemo ad-
sciscitur, præter solam generosissimam Dñam, **Dominam CHRISTI-**
NAM Horn/de Kunegård &c. prædicti Dñi **Generalis Stålhanstiens-**
dum vivebat, costam charissimam. **Illâ** n. ut in hanc magnificam sui
dilectissimi mariti adhuc spirantis donationem promptè consensit; ita
etiam post fata ejusdem huc in patriam reversa, eximium istud donum
Patribus academicis spontè tradidit ac liberalissimè exhibuit.

Ecquid verò nos, totaq; posteritas, tanto pro munere debemus?

Quam

Quam gratitudinem præstabimus? Fam scilicet, ut isthoc thesauro de-
 bite utamur & Donatorum gratam memoriam conservemus cumq;
 laude refricemus. Quotiescunq; igitur, ô studiosa juvenus, hanc thecã
 librariam aspicias, quoties bibliothecam ingrederis, quoties utiles inde
 libros ad tuum usum depromis, quod oprandum foret sæpissimè fieri;
 Toties effigiem S:R:M:is Fundatricis hujus Academiæ augustissimæ,
 nec non Illustrissimi Comitis ac Dñi, Dn. P E T R I Brahe &c. Regni
 Drotzeti & Academiæ hujus Cancellarij, venerabundus intueri; præ-
 mia cœlitus comprecare. Ut enim S:R:M:tas universitatem hanc, pro-
 curante Illustrissimo Comite, instauravit; ita etiam redivit, & Bi-
 bliothecam quoq; hancce aliquoties exquisitissimis authorib⁹ locuple-
 tavit & exornavit. Ex intimo igitur corde ductis suspirijs dicas; vivat, vi-
 geat R. CHRISTINA; Floreat Comes P E T R U S Brahe. Nec insuper abs re
 addideris; molliter in pace ossa quiescant, nomen v. perpetim maneat *TORSTENII Stålhans-
 stens/ qui hanc nobis studijs incumbendi commoditatem gnarviter auxit. Consolationis spiritum
 Deus omnipotens suggerat Dñæ CHRISTINÆ Horn/ qua hunc nobis thesaurum attulit & ex-
 tradidit. Quod opis nostra non est; Omnipotens condignas grates persolvat! Neq; interim planè
 prætereundi aut oblivione sepeliendi sunt & alij qui Bibliothecam hanc, pro ratã, auxerunt & lo-
 cupletârunt, utpote venerabiles quidam viri, præpositi atq; pastores Bothnienses, quorum nomina
 ut & aliorum qui de cætero Symbolum fecerint, nostris annalibus condigno cum encomio inserta
 olim inveniuntur. Minimè enim dubitandum, quin corda regens hominum, cujus res, honor &
 gloria hîc quoq; agitur, complures ad laudabilia hæc exempla imitandũ benignè sit excitaturus.*
 At tu iterum moneo, ô studiosa juven⁹, tantam hanc commoditatem,
 tantamq; utilissimos authores versandi occasione quæ certè ubivis non
 reperitur, ne negligas aut contemnas; sed ingenti tuo bono utere, frue-
 re, in eoq; te oblectato. Habes hîc sacrorũ Bibliorum, vario idiomate,
 varias editiones, cum commentarijs utilissimis; Habes Patrum Ecclesiæ
 bibliothecam instructissimã, ut vix ullibi plenior invenietur. Polemicos
 sive disputatores & locorum comuniũ scriptores habes accuratissimos;
 Conciliorum, colloquiorum & canonum volumina occurrunt exactis-
 sima. Historiciq; hîc adsunt ecclesiastici copiosissimi ac probatissimi,
 Nec planè deest, quod juris atq; Medicinæ studiosis usui esse queat. Ci-
 vilis autẽ historiæ scriptores, in magnâ copiã hîc sunt exquisitissimi, no-
 tis atq; paraphrasi doctorum virorum optimè illustrati; variorumq; re-
 gnorum, populorum ac nationum descriptiones abundantissimæ. Po-
 liticos atq; Ethicos videbis gravissimos; Mathematicos acutissimos &
 subtilissimos. Quin & instrumenta mathematica haud planè desideran-
 tur: Globos etenim cœlestes atq; terrestres in majori & mediocri quan-
 titate cernes scitissimos, ubi cœlestia, terrestria loca non oculis tantùm
 intueri, sed manib⁹ quasi palpare fas fuerit. Sphærã itidem ptolemaicã
 & Copernicam hîc contemplari licuerit; & eam insuper, in quã, juxta
 Nicolaum Copernicum, triplex terræ motus repræsentatur. Physicos

etiam ibi habebis, naturæ scrutatores profundissimos, & Philosopho
 toto orbe celeberrimos: Oratores & philologos eloquentissimos; ac
 disertissimos in varijs linguis purissimos: Poëtas itidem ingeniosissimos
 ac venustissimos deprehendes. In summâ; Nulla est facultas, nullû libe-
 ralis studij genus, quod non hinc aliquid subsidij & adjumenti mutuari
 poterit. Quis igitur tam vecors? quis ita incuriosus & priorû comodo-
 rû negligens invenietur? qui ad hoc eruditionis penu, imo cornu copix
 & eruditionis promptuarium sæpius recurrere, indeq; quod juvet avidè
 haurire insuper habeat? Et si qui hæcten⁹ eâ in parte sibi defuerint, tantâ
 q; comoditatē susq; deq; habuerint, ut de cætero rectius sibi consulant, &
 hujus tantæ felicitatis authorib⁹ grato pectore fausta quævis presentur,
 suadeo, hortor, moneo. Tempus equidem non est de futurum; habent
 quidam, proh nefas! quod intempestivis discursationibus, inutilibus col-
 loquijs, nimijs deambulationibus, immò & vetitis comotationibus in-
 sumant; quod semel in hebdomadâ visundæ bibliothecæ tam instructæ
 tribuant, tempus non habent. *ô tempora, ô mores, ô stultitiam, ô insaniam, ô deplorandam
 Socordiam!* Sed tu, Deus qui cuncta gubernas, mentes academicæ pubis ad ea quæ tibi
 grata, Ecclesiæ tuæ, reip, & ipsismet utilia sunt, potenter inflecte ac benignissimè di-
 rige; ne tanta bona indigni accepisse videamur; aut ob quorundam contemptum & in-
 gratitudinem aliquando ijsdem meritò exuamur.

*Atq; de BIBLIOTHECIS, cum in genere, tam in specie de nostrâ academicâ, hæc vice
 brevissimè dicta sufficiant. Occasio autem huic Declamationi nunc habenda, ut initio dixi, fuit
 Rectoratus in sequentem annum mihi prorogatus: quemadmodum pridianâ intimatiunculâ
 significatum fuit. Non est igitur quòd alias solennitates aut ceremonias nunc expectetis, juramen-
 to quo me superiori anno obstrinxi, quia non exsolvor donec Rectoratum ipsum, cum sceptris ac
 ceteris insignis deposuero, frustra hic palam repeteretur: in meipso autem sæpius idem rumina-
 ri & à me servari est convenientissimum; quod etiam divinâ ope me facturum adhuc sanctè pro-
 mitto. Deum omnipotentem supplicibus votis veneratus, ut summus Rector ac gubernator, huic
 navi porro clementissimè adesse atq; præesse dignetur. A vobis etiam Patres academici, Re-
 verendi, experientissimi & Clarissimi Dñi Collegæ, ut saluberrimis consilijs vestraq; authorita-
 te pro more consueti sublevare haud gravemini, summo perè contendendo expeto & expecto.
 Ut igitur præterlapso anno remos mecum gnavitè egissis, ad cynosuram respexissis, & velut
 in eadem navi promptissimè publicis commodis invigilassis, quo nomine debitas gratias ago;
 ita quoq; propèrò cooperemini queso, ut scopulos evitare, è fluctibus eluctari atq; tempestates
 superare divinâ ope valeamus.*

Nunc ad Nobilissimam atq; studiosam juventutem Academicam me convertam, summo perè collaudans
 ejusdem in studijs diligentiam, exacto jam anno declaratam, nec non obedientiâ mihi, sed quid dixi? mihi, immò ve-
 nerando senatui academico præstitam; cujus decreta promulgare, vota colligere & sententias exsequi Rectori sal-
 tem incumbit. Interim promptam hanc obsequentiam meritò nunc deprædico, & non solum Ego, verum etiam
 am universus Senatus, sum usus postulaverit occasione oblatâ omni favore, promotione aut commendatione
 condignos fructus unicuique promittimus; Durioris autem cervicis, si qui inveniantur, rarum quippe est
 ut lolium tritico se non immisceat; (gaudemus tamen quàm paucissimos ejus furfuris hic reperiri) eos etiam
 sua Nemesis & petulantix merces constabit; quam Deo & hominibus cordi futuram minimè dubitandum. Ins-
 tercâ rogo, moneo & officij etiam ratione mando, ut omnes ac singuli Deo cultum & pietatem, Magistratui
 præceptoribusq; obsequentiam, omnibus fidem ac justitiam præstetis; nec non sedulam in studijs diligen-
 tiam & assiduitatem adhibeat. Floreat, ô floreat etiam hoc anno & jugiter

hæc nostrâ Academia floreat! A M E N.



6000114641



Göteborgs universitetsbibliotek

